

SANSEPOLCRO

5 luglio 1487

Firenze, Archivio di Stato, Notarile Antecosimiano di Fedeli Leonardo, segnato F. 172 (1473/90), a c. 70.

*Testamento di Piero della Francesca pittore del fu Benedetto di Pietro di Benedetto de Franceschi.*

« In nomine Individue Trinitatis Amen. Anno a Nativitate domini nostri Jhus Xpi millesimo quadringentesimo optuagesimo septimo. Indictione quinta... et die quinto mensis Julii. Magister Petrus pictor olim Benedicti Petri Benedicti de Franceschis de burgo Sancti Sepulcri, sanus per gratiam domini, domini nostri Jhus Xpi Salvatoris nostri, mente, intellectu, ac corpore, volens et intendens de suis bonis, rebus et iuribus quibuscumque disponere, suum ultimum testamentum nuncupatum sine scriptis, et eius ultimam voluntatem condere et ordinare et facere; quod et quam in hunc modum et formam facere procuravit, et fecit videlicet; quam:

*In primis animam suam altissimo Redemptori recomendavit et voluit et iussit sepelliri corpus suum, quando contigerit mori, in ecclesia abbacie Burgi supradicti, in monachato dicte ecclesie, in sepultura sua et suorum predecessorum. Et amore dei et pro anima sua reliquid (sic) et legavit opere ecclesie abbacie predicte libras decem den. cortonensium, convertendas in utilitatem dicte opere et non aliter.*

*Item reliquid et legavit de bonis suis pro honorando corpus Domini in ecclesia Abbacie libras decem den. corton.*

*Item reliquid et legavit opere Sotietatis gloriosissime Virginis Marie de Abbacia dicti Burgi libras decem den. cort. convertendas in utilitatem dicte sotietatis et opere eiusdem et non aliter nec alio modo.*

*Item amore Dei et pro anima sua opere gloriosissime Virginis Marie de la Regghia de prope Burgum, libras decem den. corton. convertendas in utilitate dicte opere et non aliter. In omnibus autem aliis suis bonis et rebus mobilibus et immobilibus et iuribus et actionibus quibuscumque presentibus et futuris, eius heredes universales instituit et esse voluit atque fecit Antonium eiusdem testatoris fratrem carnalem pro dimidia, et eius filios masculos dicti Antonii, si dictus Antonius tempore mortis dicti testatoris non viveret, equis portionibus inter ipsos filios dicti Antonii pro dicta dimidia, et pro alia dimidia instituit, esse voluit atque fecit Franciscum, et Sebastianum et Jeronimum fratres et filios masculos Marci quond fratris carnalis dicti testatoris et nepotes ipsius testatoris, pro altera dimidia equali portione inter eos. Quos Antonium et filios, ut supra, pro dimidia, et quos Franciscum et Sebastianum et Ieronimum eius nepotes predictos eius universales instituit, esse voluit atque fecit et sibi testatori succedere voluit pleno iure. Et hoc et hanc asseruit dictus testator esse eius ultimum testamentum et eius ultimam voluntatem, quod et quam valere voluit iure testamenti nuncupativi sine scriptis.*

*Factum et conditum fuit dictum testamentum — per dictum magistrum Petrum et de eius voluntate concessione et mandato — scriptum — per me Leonardum notarium imperialem in burgo Sancti Sepulcri in appotecha Abbacie residentie mei notarü — sita subtus domubus dicte Abbacie, presentibus... ».*